

tiumque Divinum recipit. Et Concil. Trid. Sess. 22. Decr. post Canon. de Sac. Missæ, arcens Ab Ecclesiis musicas eas, ubi stes Organo, sive Cantu lascivum, aut impurum aliquid miscetur, satis indicat, se eas Musicas & Organa probare, si eis nihil nisi Ecclesiasticum, & spirituale sonat.

Petes 2. Quo tempore Ecclesia admisit usum Organorum in Divinis Officiis? R. Quidam eum referunt ad ann. 660. Tempore Vitaliani Papæ. Alii dicunt, Ecclesiam Veronensem eum admisisse tempore Caroli magni. Alii referunt ad tempora Ludovici Pii, qui obiit ann. 1180. sed hæc non constant. S. Th. qui obiit ann. 1274. hic ad 4. non agnoscit hunc usum in Eccles. Durandus qui obiit ann. 1296. in Ration. l. 4. c. 34. loquens de Hymno Sanctus, qui Prefationi subjungitur in Missa, sic loquitur: In hoc Angelorum & Hominum concentu quandoque Organa concerpant; quod a David & Salomone introductum est. Ex quibus colligo, temporibus S. Th. hunc usum nondum viguisse in Ecclesia, saltim passim, nec sic, ut S. Th. scriberet; paulo post autem viguisse.

Porro, licet usus, sive Cantus, sive Organorum, in divinis Officiis sit secundum se laudabilis, potest tamen per accidens reddi illicitus, nimirum si prophana, vana, aut turpia divinis Officiis promisceantur, eaque sive voce, sive Organo cantentur; quod potest fieri multipliciter. 1. Dum quis ex intentione vana inserit ut partem divini Officii, puta loco Antiphonæ, &c. & iste actus præter difformitatem, quam ex natura sua habere potest, quatenus est vanus & provocativus ad malum, est insuper ex præsentis peccatum mortale ex genere suo; tum quia repugnat fini Cultus divini; tum quia sic agens est falsarius in divino cultu, inserens tanquam ejus partem nomine Ecclesiæ, quod Ecclesia minime vult inseri. 2. Dum quis vult significare organa prophana, non inserendo ut partem Officii, sed tantum delectationis causa; & si ista prophana sint honesta, erit tantum peccatum veniale, quia videtur levis injuria facta cultui divino. Si inhonesta, erit peccatum mortale, tum ratione scandali & provocationis ad malum, tum contra Religionem propter gravem injuriam illatam cultui divino & loco sacro. 3. Dum quis præcisè applicat consonantiam soni profani ad verba sacra, & tunc non videtur per se peccatum: nam sonus sive vocis, sive organi ex sua natura est indifferens ad significanda sacra & profana, & ideo ad utraque potest æque referri. Per accidens tamen contingit esse peccatum, si nempe iste sonus sit talis conditionis, ut judicetur provocativus ad malum; & erit mortale, vel veniale pro ratione mali, ad quod provocat, & scandali inde causati. Ita post Cajet. Sylvius & Valentia.

DIGRESSIO HISTORICA.

Utrum Israëlita, dolo Gabaonitarum decepti, Juramentum illis præstitum teneantur servare?

AD I. CONCL. §. II. ART. IV. DISSERT. PRÆCED.

Fama victoriarum ab Israëlitis reportatarum commoti Chanaanæ Reges adversus illos sancto federe conjurant. Verum Gabaonites, abjecto belli consilio, de deditioe cogitant, utque ad fœdus cum Israëlitis facilius amitterentur.

DISSERTATIO VI. DE OBSERVATIONE DIEI DOMINICÆ ET FESTORUM.

Div. Thom. Quest. 122. art. 4.

ARTICULUS I.

Discutitur natura Præcepti de Observatione Sabbathi & Diei Dominicæ.

Quamvis S. Th. agat infra de hac materia, ubi de convenientia & ordine Præceptorum Decalogi; quia tamen Festorum observatio est etiam actus exterior Religionis, rem Lectori non ingratam me facturum duxi, si præcedentibus Dissertationibus hanc subnecterem, ut sic totam de Religione materiam sub uno quasi intuitu collectam haberet.

Dico i. (Q. 122. art. 4. o.) Convenienter traditum est præceptum de observatione Sabbathi; quia remotis per primum & secundum præceptum Decalogi veræ Religionis impedimentis, nimirum superstitione, sacrilegio, perjurio, &c. consequens erat, ut statueretur id, per quod homines in vera Religione positivè fundarentur, & hoc est cultus Divinus. Et quia ad interiorum cultum, qui consistit in oratione & devotione, magis inducitur homo

ex interiori Spiritus S. instinctu, & insuper hujusmodi cultus interior 1. & 2. præcepto Decalogi satis intelligitur requisitus, (fides enim necessaria intelligitur his verbis: Ego sum Dominus Deus tuus; & reverentia, atque honos, per hoc quod dicitur solus Deus colendus, & nomen ejus non vanè assumendum) ideo convenienter fuit, ut daretur Legis præceptum de exteriori cultu; & hoc est tertium Decalogi, Memento, ut diem Sabbathi sanctifices... non facies omne opus in eo. Quia verò (Ibid.) præcepta Decalogi sunt quasi quedam prima, & communia Legis principia; ideo in hoc 3. præcepto præcipitur exterior Dei cultus sub signo beneficii omnibus communis, scilicet creationis mundi, a qua requiescit dicitur Deus die septima. In cujus signum dies septima mandatur sanctificanda, id est, deputanda ad vacandum Deo. Et ideo Exod. 20. præmisso præcepto de sanctificatione Sabbathi, assignatur ratio; quia sex diebus fecit Cælum, & Terram, & in die septima requievit. Sed advertendum hic cum Cajet. super hunc art. quod, cum audis S. Doctorem docere, interiorum cultum non juberi hoc præcepto, sed exteriorum duntaxat, intelligendus sit de cultu interiori secundum se; talis enim non est hic præceptus, sed est finis præcepti. Cum quo tamen stat, quod cultus interior, qui est conditio necessaria cultus exterioris prout cadit sub Lege, sit in præcepto: tenetur enim audiens Missam in Dominica interiorum, & exteriorum hominem cultui Missæ exhibere: ut latius dicam infra.

Dico 2. (Ibid. ad 1.) Præceptum de observatione Sabbathi convenienter reponitur inter præcepta moralia Decalogi. Quia hoc præceptum literaliter intellectum est partim morale, seu Juris nature, partim ceremoniale. Morale est, quantum ad hoc quod homo deputat aliquod tempus vite suæ ad vacandum divinis; inest enim homini naturalis inclinatio ad hoc, quod cultibus rei necessarie deputet aliquod tempus, sicut v. gr. corporali reflectioni, somno, & aliis hujusmodi: ergo etiam spirituali reflectioni, qua mens hominis in Deo recitatur, secundum dictamen rationis naturalis debet aliquod tempus deputare, & sic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum divinis cadit sub præcepto morali, & sub hac ratione ponitur inter præcepta Decalogi. Sed in quantum destinatur specialiter tempus in signum creationis mundi, & in quantum in eo præcipitur cessatio ab omni opere servili in figuram quietis Dei ab opere creationis, est præceptum ceremoniale, non morale. Non enim dicitur Jus nature, necessario vacandum esse divinis Sabbathi potius, quam altero die, & per totam diem potius, quam per partem; neque necesse est ad vacandum divinis abstinere ab omni omnino opere servili, neque potius ab opere servili, quam ab alio non servili. Hoc (Ibid.) verò præceptum mysticè intellectum est etiam ceremoniale. Primum secundum allegoricam significationem, prout fuit signum quietis Christi in Sepulchro, quæ fuit septima die hebdomadæ. Secundum secundum moralem significationem, prout significat cessationem ab omni peccato, & quietem mentis in Deum, & secundum hoc est quodammodo præceptum generale. Tertio secundum significationem anagogicam, prout scilicet præfiguratur quietem fructuosam Dei, quæ erit in Patria.

Dico 3. (Ibid. ad 3.) In observantia præcepti duo sunt consideranda; unum, quod est finis, & est cultus divinus, seu quod homo vacet rebus divinis, quod significatur in hoc, quod dicit, Memento, ut diem Sabbathi sanctifices: illa enim dicuntur sanctificari in Lege, quæ Divino cultui applicantur. Aliud est objectum præcepti in ordine ad hunc finem, & est cessatio operum, quæ significatur, cum subditur: Septimo die Domini Dei tui non facies omne opus, hoc est, omne opus servile, ut exprimitur Levit. 23. cui cessationi operum Ecclesia in nova Lege addidit auditionem Missæ. Ut autem tollatur æquivocatio, duplex distingui debet, & solent finis præcepti; unus intrinsecus, qui ab ipsa re præcepti non separatur; alter extrinsecus, qui ab ipsa re præcepti distinguitur, & separari potest. In præsentis itaque materia finis intrinsecus respectu totius præcepti est cultus interior. Sed quia hoc præceptum duo includit, unum negativum non faciendi opus servile, aliud positivum audiendi Missam; finis extrinsecus præcepti negativus est cultus positivus tam interior, quam exterior, finis intrinsecus est cultus negativus, qui in ipsa cessatione ab operibus imbibitur: finis autem intrinsecus præcepti positivi est ipse cultus exterior, qui ab ipsa auditione Missæ non distinguitur: finis extrinsecus est cultus interior. Hoc D. Th. principium accuratè distinguere volui, quia accuratè notari volo, sicut & hoc aliud ejusdem S. Doctoris, (1. 2. q. 100. a. 9. ad 2.) finem extrin-

secum præcepti non cadere sub præcepto. Defectu enim hujus intelligentie multi labuntur in suis resolutionibus.

Dico 4. (Hic q. 122. a. 4. ad 4.) Observantia diei Dominicæ in nova lege non est Juris naturalis, aut divini positivi, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani, ab ipsis Apostolis derivata. Ita post S. Th. Cajet. hic Sylvius, Navarr. in Man. c. 3. cians Turrescrematam, Archid. Thomam Vald. & alios contra Sylvestrum, Prob. Observantia diei Dominicæ duo importat, determinationem temporis, hujus nempe diei, & determinationem materie, seu ritus nempe cessationis ab opere servili, & auditionis Missæ; atqui neque temporis, neque materie determinatio est ex Jure naturali, aut divino positivo: ergo Ecclesiastico. Prob. Min. (Ibid. o.) Non Jure naturali: quia, quamvis Jus nature dicitur, Deum esse aliquando colendum, non tamen necessario determinat, ut jam notavi, hunc diem potius, quam alium, totam diem potius, quam plurimum dierum partes, neque hunc ritum externum, scilicet cessationem ab opere servili, & auditionem Missæ potius, quam alium, cum Deus possit alio ritu coli. Non Jure divino positivo: (Ibid. & ad 4.) lex enim Sabbathi in veteri Testamento, quia erat ceremonialis, & figuralis quoad determinationem diei, & ritus, cessavit quoad utrumque, adventiente nova lege: quoad determinationem diei patet: etiam quoad determinationem ritus evidens argumentum est, quod non sic ita acria prohibito operandi in die Dom. sicut in die Sabbathi, sed quedam opera conceduntur in die Dom. quæ in die Sabbathi prohibebantur, sicut decoctio ciborum, itineratio, & alia hujusmodi. Quantum verò ad Jus positivum novæ legis nullibi legitur in Evangelio, Christum præcepisse observationem diei Dominicæ, neque in ea cessationem ab opere servili, & auditionem Missæ: ergo. Confirm. Ecclesia dispensavit, & sæpe dispensat in observatione diei Dominicæ tam quoad cessationem ab opere servili, quam quoad auditionem Missæ, ut patet ex Cap. Licet de Feriis Extra. l. 2. tit. 9. & quotidiano usu; atqui Ecclesia dispensare non potest in Jure naturali, aut divino: ergo.

Dices: laudato cap. Licet dicitur: Tam veteris, quam novi Testamenti pagina septimum diem ad humanam quietem specialiter deputari: ergo. Respondet Navarr. in Manuali c. 13. n. 1. inde ad summum probari, quod in utroque testamento, tam novo, quam veteri, invenitur, quod unus de septem diebus debet observari, non tamen quod in utroque hunc Deus determinaverit; licet enim id fecerit in veteri, non tamen in novo. R. 2. nomen novi Testamenti non semper sumi stricte pro eo, quod ipse Christus Deus sancivit, & in Evangelio refertur, sed etiam sæpe paulo latius pro eo, quod ipsi Apostoli statuerunt, & in eorum scriptis legitur; quo sensu Epistolæ, & Acta Apostolorum, & Apocalypsis dicuntur communitè libri novi Testamenti, in his autem fit mentio Dominicæ.

Itaque quantum ad temporis determinationem meminere diei Dominicæ S. Joann. in Apocal. 1. ubi dicit, se fuisse in spiritu in Dominica die, qui antè dicebatur dies Solis S. Luc. art. 20. narrans, fideles convenire ad frangendum panem una Sabbathi, id est, phrasi Hebræa, prima die post Sabbathum. Unde Aug. Ep. 89. dicit: Una Sabbathi appellatur dies, qui nunc Dominicus appellatur. Item S. Ignat. Ep. ad Magnesianos, Innocent. I. Ep. ad Decentium. Cessationis ab opere servili meminerunt Concil. Aurelian. 3. ann. 538. Can. 28. Matison. 2. ann. 585. Can. 1. Cabilon. ann. 650. Can. 18. Cap. Licet cit. De Feriis, & alia deinde Concilia. Auditionis Missæ Conc. Agath. ann. 506. Can. 47. de consecrat. c. 64. dist. 1. his verbis: Missas die Dominico secularibus rotas audire, speciali ordine præcipimus; ita ut antè benedictionem Sacerdotis egredi populus non presumat: quod si fecerit, ab Episcopo publicè confundatur. Ibid. Can. Omnes 62. Conc. Aurel. ann. 511. Can. 22. Triburiens. Can. 35. & alia sequentia: & his omnibus antiquior Aug. serm. 25. de tempore, ubi loquens de die Dominica dicit: In die nullus se a sacra Missarum celebratione separet.

Et quia hæc Jura non tam de novo instituta sunt hoc præceptum, quam supponant jam institutum, cum plerumque de modo illud adimplendi tantum agant, atque consuetudo populi Christiani, cujus initium assignari non potest, semper habuit, & habet hæc esse in præcepto, rectè concludit Sylvius, hanc legem de observatione diei Dominicæ ab ipsis Apostolis descendere, juxta hanc Aug. regulam l. 4. contra Donatistas c. 24. Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur. Quod & ipse Aug. disserte asserit serm. 131. de temp. his ver-

verbis: *Dominicum diem Apostoli, & Apostolici viri religiosa solemnitate habendum sanxerunt, quia in eodem Redemptor noster a mortuis resurrexit.* Et cum ista Lex sit ex motivo Religionis, & de re gravi, indubie obligat sub peccato mortali; & hic est sensus communis fidelium. Unde merito Innoc. XI. damnavit hanc propositionem n. 52. *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

Dico 5. Rationabiliter Ecclesia loco Sabbathi instituit diem Dominicam, nimirum in memoriam Resurrectionis Christi, & nostræ Redemptionis completæ. Et sicut Judæi præter Sabbathum, quod servabant in memoriam creationis mundi, alia etiam Festa celebrabant ad recolenda alia Beneficia: ita nos Christiani præter diem Dominicam varia alia Festa per anni decursum celebramus, ad recolenda plura alia Beneficia circa idem opus nostræ Redemptionis, vel Sanctorum merita, & exempla.

Instituere Festa pro universa Ecclesia potest SS. Pontifex; & Episcopus pro sua Diocesi, requisito tamén consensu populi ex Jure speciali, dist. 3. de consecr. c. 1. & c. ult. de Feriis cit. ne multitudinem Festorum gravetur: quamvis contraria consuetudine pluribus in locis hoc jus populi videatur abrogatum. Potest tamén Episcopus sine consensu populi abrogare Festa, sive in toto, sive quoad partem dei. Festa, quæ de novo instituit Episcopus, serventur Regulares exempti ex Concil. Trid. sess. 25. de Reg. c. 12. non tamén Festa, quæ populus vovit, & Episcopus solum approbavit, nisi decursu temporis consuetudo vim legis obtinerit.

Inter dies Dominicæ præcipua est Dominica Resurrectionis, quæ singulis annis celebrari debet ex Decreto Concilii I. Nicæni prima die hebdomadis post Lunam 14. primi mensis; de quo fuit celebris controversia 2. seculo, ut videbimus in Digressionem hist. ad calcem Dissert.

Solemnitas diei Dominicæ, & Festorum quoad Officium incipit a primis Vesperis ad secundas Vesperas. Quoad cessationem ab opere servili, & additionem Missæ a media nocte ad mediam noctem: sic saltem nunc observatur in Europa, licet olim etiam observaretur a primis ad secundas Vesperas, ut patet ex cap. Omnes. de Feriis cit.

## ARTICULUS II.

Utrum opera quocumque modo servilia prohibeantur diebus Dominicis, & Festis.

Nota: (Ib. ad 3.) Opus servile dicitur a servitute. est autem triplex servitus: una, qua homo servit peccato, secundum illud, *qui servit peccato, servus est peccati*; & secundum hoc omne opus peccati dicitur servile. Alia servitus est, qua homo servit homini: est autem homo alterius servus, non secundum mentem, sed secundum corpus, ut dicitur est de obedientia: & secundum hoc opera servilia dicuntur opera corporalia, in quibus unus homo alteri servit, & ad quæ solemus habere servos deputatos. Tertia est servitus Dei: & secundum hoc opus servile posse dici opus Patriæ, quod pertinet ad Dei servitium. Questio est itaque, utrum, non solum opera servilia secundo modo, quæ proprie sunt servilia, sed etiam servilia primo, & tertio modo, prohibeantur diebus Dominicis, & Festis.

Dico 1. (Ib.) Opus servile tertio modo, quod scilicet proximè pertinet ad Dei servitium, non prohibetur diebus Dominicis, & Festis: quia hoc esset contrarium fini hujus præcepti; homo enim ad hoc ab aliis operibus abstinere his diebus, ut vacet operibus ad Dei servitium pertinentibus. Adde, quod hujusmodi opera, etsi aliunde corporalia, & servilia, non remaneant tunc proprie servilia, sed sicut servis, & liberis communia. Unde Matth. 12. *Sacerdotes in Templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt.* Sic etiam Sacerdotes in Sabbathum circumferentes Arcam non transgrediebantur præceptum de Sabbathi observatione. Licet itaque diebus Dominicis, & Festis gestare cruces, imagines, reliquias in supplicationibus publicis, pulsare campanas, insuflare organa, agitare thuribulum, ornare Altaria sertis, candelabris, vestimentis, & similia, quæ, ut dixi, proximè ad Dei servitium pertinent: alia si remotè tantum pertineant, & aliunde forent servilia, prohibeantur plus, vel minus, secundum quod plus, vel minus remotè ad Dei servitium pertinent; quia plus, minus participant de servilitate. Hinc parietes Ecclesiæ tapetibus ornare, serta pro altaribus componere, Ecclesiam lavare, aras in viis publicis erigere, & similia, non sine culpa veniali fiunt diebus Dominicis, aut Festis, si præcedenti

die commodè fieri poterunt. At lapides, aut ligna ad Ecclesiam, ad Aram construendam cadere, aut vehere, lineamina Ecclesiæ lavare, conficere, reficere, calices fabricare, agros Ecclesiæ colere, & similia, seclusa necessitate, peccatum est mortale, quia remanent omnino, & absolute servilia.

Dico 2. (Ibid.) Opus servile primo modo, hoc est peccatum commissum in die Festo, gravius est, quam si committeretur altero die: ita præter S. Th. Aug. Ambros. Concil. Lingonense dicens: *gravius peccat, qui peccat in die Festo, puta furatur, fornicatur, quam qui in aliis diebus hoc facit, & alia Jura, quæ videri possunt apud Natal. Alex. Ratio est; (Ibid.) quia peccatum contrariatur directè fini præcepti de observatione Festorum, & quidem magis, quam opus aliunde servile; atqui hoc illi confert aliquam difformitatem: ergo. Prob. Maj. Finis hujus præcepti est, ut homo corde, & mente vacet Deo & rebus divinis; atqui homo magis impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus corporale aliud licitum, quia, ut ait Catechism. Rom. *Non solum animam a divinarum studio avocant, sed nos a Dei amore prorsus sejungit: ergo.**

Dico 3. Peccatum commissum in die Festo non inducit novam specie malitiam contra Religionem, necessario apertendam in confessione. Ita Cajet. hic, Sylvester v. Confessio 1. §. 10. Sylvius in Suppl. q. 9. a. 2. Questio 3. Concl. 2. Pontas v. *Dimanche* Cas. 19. & alii communiter contr. paucos. Difficultas est potissimum de mente S. Th.

Prob. 1. ex ipso S. Th. Doctoris principibus præcepti de observatione Festorum, non est tamén contra ipsum præceptum: ergo. Prob. Ant. Præcepto de observatione Festorum prohibetur opus proprie, & literaliter, non metaphorice, & secundum significationem mysticam, servile; atqui peccatum non est opus servile literaliter, & proprie, sed metaphorice tantum, & secundum significationem mysticam: ergo. Patet Major: quia verba præcepti sunt intelligenda in sensu proprio, & literaliter, non metaphorice, aut mystico; leges enim, cum sint regulæ actuum humanorum doctis, & indoctis propositæ, non solent tradi sub figurarum, & sensus mystici involucribus, sed verbis clarissimis proprie, literaliter significandis. Prob. Minor: 1. ex ipso S. Th. cujus est in terminis in 3. dist. 37. quæstion. 2. a. 5. ad 2. qui formalissimè dicit: *Opera servilia mysticè intelliguntur peccata; sed ad litteram opera servilia dicuntur ad quorum exercitium servos deputatos habemus, in quibus debent artes mechanicæ dirigi, quæ contra liberales dividuntur.* Et hic ad 1. dicit, hoc præceptum, mysticè intellectum, secundum morale significationem significare cessationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo; et secundum hoc esse quodammodo præceptum generale: ergo. Prob. 2. eadem Minor. Nemo proprie est sui ipsius servus, servitus enim exigit distinctionem personarum; sed, sicut iustitia in homine metaphorice dicitur respectu sui, ratione diversarum partium hominis, puta rationis, & sensualitatis, ita servitus: homo opus servile dicitur de peccato, non proprie, sed metaphorice, sicut esse servum peccati dicitur metaphorice de faciente peccatum. Confirm. Præceptum generale non peccandi non confert actui peccaminoso speciem malitiam contra Religionem; atqui præceptum de observatione Festorum, prout importat cessationem a peccato, est præceptum generale: ergo. Major est evidens. Minor est D. Th. in verbis prius cit.

Prob. 2. Ex universali praxi tùm Confessoriorum doctissimorum, tùm penitentium timoratorum, quorum neque hi solent se accusare, neque illi interrogare de circumstantia Festi: ergo.

Dices 1. S. Th. hic ad 3. dicit: *Opus servile dicitur a servitute. Est autem triplex servitus, una quidem qua homo servit peccato, alia vero, qua homo servit homini, tertia est servitus Dei, quæ dicitur servituti Sabbathi: ergo peccatum prohibet præcepto Sabbathi. R. Verba sequentia explicare mentem S. Doctoris, subdit enim immediatè. In quantum impediunt applicationem hominis ad Divina. Quibus verbis significat peccata eatenis contrariari observationi Sabbathi, quatenus ejus finem nempe applicationem ad Divina impediunt: sicut autem finis non præcipitur, ita non semper omne, quod illi obstat, prohibetur, nisi exprimat in præcepto; alia, non solum opus corporale, sed etiam spirituale, puta acre, & intentionem studium esse prohibendum, cum maximè impediatur applicationem ad Divina. Id ergo solum inter impedienda fi-*

finem centeri debet prohibendum, quod in præcepto proprie & literaliter intellecto continetur, & hoc est opus corporale, quod proprie servis competit.

Inst. Adit ibidem S. Th. *Et quia magis homo impeditur a rebus Divinis per opus peccati, quam per opus, aliud licitum, quomvis sit corporale; idè magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die Festo, quam qui aliud corporale opus, aliud licitum, facit: ergo. R. 1. Sub eadem distinctione, magis contra hoc præceptum agit, &c. id est contra substantiam præcepti: N. id est, contra finem præcepti, C. patet ex ipsa eadem semper ratione, quam præmittit S. Doct. scilicet; *Quia magis homo impeditur a rebus Divinis per opus peccati, quam per opus corporale aliud licitum, sicuti diximus in secunda conclusione. R. 2. alia distinctione ex eodem S. Doct. magis agit contra hoc præceptum literaliter intellectum, N. mysticè intellectum, C. postquam enim S. Thom. ad 1. exposuit istud præceptum literaliter, exponit deinde illud secundam triplicem significationem mysticam, allegoricam, moralem, & anagogicam, & dicit ad propositum hoc præceptum esse etiam ceremoniale: Secundum morale significationem, prout significat cessationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deum, & secundum hoc quodammodo esse præceptum generale. Porro vis obligandi oritur ex præcepto, non mysticè, sed literaliter intellecto; neque præceptum generale non peccandi confert peccato speciem malitiam contra Religionem, ut diximus in probationibus.**

Repones hæc verba S. Aug. lib. De decem chordis c. 3. qui ipse S. Th. refert loc. cit. *Melius faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quam si in Theatro seditionis existeret; & melius famulus eorum die Sabbathi lanam faceret, quam quid tota die in Neomeniis suis impudicè saltaret: ergo. R. N. Conseq. Equidem melius, seu minus inale est arare, vel nere in die Festo, quam seditionibus, aut impudicis operam dare, non quia hæc prohibentur præcepto de observatione Festi; sed 1. quia sunt contra legem naturalem, priora autem contra legem positivam tantum: 2. quia præter essentialem malitiam induunt aliquam difformitatem ex hoc, quod sint directè contra finem præcepti. Huc usque datæ solutiones adhiberi possunt Concilio Lingon. supra cit. SS. Ambrosio, Aug. Raymundo, Antonio, & aliis: licet, ut verum fatear, hi duo ultimi paulò difficiliter explicari possint.*

Urget Henricus a S. Ignat. l. 10. part. 3. n. 19. auctoritatem ejusdem S. Th. opusc. 64. & in suo Confessionali c. 2. R. Opusculum 64. inter opera S. Thomæ recensitum non esse genuinum. S. Doctoris scgetum probat 1. Quod minori characteris sit cibus ut adulterinum, aut saltem dubium: 2. Quod nullus veterum inter opera S. Th. recensuerit. 3. Quia repugnat e diametro Majestati & Doctrinæ Aquinatis. Vide Echard. Tom. 1. pag. 341. Quantum ad Confessionalem D. Th. opus est nobis ignotum, nec inter opera S. Doctoris recensitum.

Dices 2. Omnia peccata in loco sacro commissam induunt malitiam Sacrilegii, quia repugnant sanctitati loci; atqui peccata die Festo commissam repugnant etiam sanctitati diei: ergo etiam induunt rationem Sacrilegii. R. 1. N. Maj. Sacrilegium enim non est quæcumque violatio rei Sacre, sed formaliter rei Sacre in eo, in quo est Sacra. Unde S. Th. (Hic q. 99. a. 3. ad 3.) dicit, quod non omne peccatum, quod committit Sacra Persona, sit formaliter & proprie Sacrilegium, licet tamén per illud violetur & profanetur; sed illud solum peccatum, quod est directè contra ejus sanctitatem, puta, si Virgo Deo dicata fornietur. Porro non omne peccatum est formaliter & directè contra sanctitatem loci Sacri, seu illud non violat formaliter in eo, in quo est sacer, sed illa dumtaxat opera, quæ ab Ecclesia prohibentur ex reverentia loci Sacri, ut effusio sanguinis, aut seminis, & alia, de quibus vide Q. de Sacrilegio. Similiter non omne peccatum est directè & formaliter contra sanctitatem Festi, seu non illud violat formaliter in eo, in quo est sacrum; sed illud solum, quod in ejus reverentiam & cultum prohibetur ab Ecclesia, ut sunt opera servilia & omissio Missæ, R. 2. D. Maj. Omnia peccata in loco sacro commissam induunt malitiam sacrilegii veniale, & Transeat Maj. Mortalem, N. Maj. & omissa Minore, D. Consequens ad sensum Maj. Dato ergo, quæcumque peccata commissam in loco vel die sacro malitiam sacrilegii induere, quatenus sunt contra reverentiam loci sacri, aut sanctificationem Festi, quæ sunt horum præceptorum fines, est tamén venialis dumtaxat hæc malitia: quia, ut sæpè dictum est, finis præcepti non cadit sub præcepto; tunc autem est mortalis, quando sunt præcepta, seu opera ipsis præceptis contraria. Ità Syl-

vester V. Confessio 1. §. 10. & V. Sacrilegium §. 5. Inst. Peccatum prohibetur diebus Festis his præcepti verbis: *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices: ergo. R. N. Ant. Quia, ut dixi ex S. Th. a. 1. his verbis importatur tantum finis præcepti, qui non cadit sub præcepto.*

Dico 4. Restat ergo inter opera servilia, sola servilia secundo modo & proprie dicta prohiberi diebus Dominicis & Festis. Pro quo Nota 1. (Hic q. 122. a. 4. ad 3.) Opera proprie servilia, ut jam dixi ex S. Th. ea esse, quæ corpore exteriori exercentur, & corporis usibus, ac necessitatibus deseruiunt, servis propria, seu per servos & mercenarios exerceri solita, unde & servilia dicta: ut sunt opera artium mechanicarum, arare, fodere, &c. sicut & contra opera liberalia dicuntur, quæ vel mente exercentur, vel corpore quidem, sed potissimum animi excolendi gratia, ideoque homine libero digna, ut sunt opera artium liberalium, studere, docere, scribere, cantare, &c. Sunt & alia media, servis & liberis communia, ut itinerari, ludere, &c. Nota 2. cum Cajet. hic §. ultimo, Sylvio hic, Cabasutio, & aliis communiter, opus, quod ex se est liberale, aut commune, non idè fieri servile, quia fit per mercedem, aut lucrum; nec e contra opus secundum se servile desinere esse servile, si fiat gratuito, aut recreationis ergo: quia isti fines sunt his operibus extrinseci, nec naturam eorum mutant: sic actus docendi, aut cantandi tr. gr. non est servilis, licet fiat propter mercedem. Neque e contra arare, conficere calices, desinit esse servile, licet fiat gratuito, aut animi recreandi causa. Neque dicas, agere propter mercedem esse proprium servorum; negatur enim assumptum, ut patet in exemplis Doctoris & Musicæ; & maximè negotiatoribus, qui, quamvis lucrum maximè intendunt, non tamén idè sunt servi, quin potius maximè domini. De quo vide, si lubet, Cajet. cit. Nota 3. hoc opus esse censendum servile, quod juxta usum Patriæ & communem hominum sensum æstimatur servile; quod enim unum opus competat servis & non aliud, maximè pendet ex hominum voluntate. Undè fieri potest, ut idem operis genus diversimodè factum sit servile & non servile: v. gr. piscari recreationis causa cum arundine, aut levi rete non censetur servile, sed servis & liberis commune; piscari verò ex officio cum igno apparatu & labore, censetur servile.

Hinc inferes, omnia opera ruralia, arare, serere, metere, colligere messes, vineas colere, arbores cadere, &c. esse proprie servilia, proindeque esse prohibita diebus Dominicis & Festis. Item opera artis cementariæ, ferrariæ, lignariæ, sartoriæ, sutoriæ, textoriæ, sculptoriæ, & similia: item pictoriæ, & typographiæ, ut dicam fusiis infra. Item, ut rectè observat Henno, opera minutiaria, quæ solent facere Merciales, scapularia, rosaria, cordulas, flores, imagines cereas, sericas, aut chartaceas, maximè si diu his immoretur; sunt enim hæc artium mechanicarum opera; & a mercenariis exerceri solita. Nec omnino excusant motum pietatis, aut religionis, quia remotè tantum ad eam pertinent sicut Ecclesiam ædificare, Calices conficere, &c.

## ARTICULUS III.

Utrum præter opera servilia quedam alia prohibeantur diebus Dominicis & Festis?

Recole, quod jam Art. superiore notavi ex S. Th. & ex Cajet. triplicis generis opera distingui, liberalia, servilia, & communia servis & liberis. De servilibus jam dictum est; de aliis

Dico 1. Præter opera servilia, specialiter ab Ecclesia prohibentur diebus Dominicis & Festis quatuor, quæ non sunt servilia, scilicet, mercatus, placitum, iudicium ad mortem vel ad poenam, & juramentum judiciale, hoc ultimum, nisi pro pace, vel alia necessitate. Cap. Omnes, & cap. Conquestus. Extrà De feriis l. 2. tit. 9. Secundum & tertium sic prohibentur, ut etiam irritentur, nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat. Cap. Conquestus, cit.

Circa hæc advertit Cajet. in summa V. Festum n. 11. & seq. 1. Mercatus nomine tria intelligi: Primum nundinas, quæ bis, aut semel in anno fiunt alicubi, juxta diversarum Provinciarum mores. Secundum quasi nundinas, quæ semel, aut bis in hebdomada fiunt, vulgo, *Jours de marché*, dum Rustici & alii deferunt venalia ad forum, butyrum, fructus, pullos, ova, &c. Tertium actus mercandi, hoc est, emendi, vendendi, locandi, &c. Quantum ad nundinas, licet alicubi contraria consuetudine prævalent tolerentur, hæc tamén tolerantia non est extendenda

da, sed quantum fieri potest restringenda. Quantum ad quasi mundinas, ubique more receptum est, ut in diem alterum transferantur. Quantum ad actum mercandi, grano salis indiget, inquit laud. Cajet. quoniam consuetudo recepta Populi Christiani in multis oppositum habet; panis enim, vinum, cerevisia, herbe, fructus carnes, & similia ad usum quotidianam pertinentia passim licite emuntur & venduntur. Item Rustici, qui praeter continuo labore non nisi diebus Festis Urbem frequentant, licite emunt sibi necessaria, ut calceos, vestes, pileos, &c. Idem censendum puto de peregrinis, seu itinerantibus, qui ad breve tempus morantur in Urbe. Item privati contractus maxime inter plebejos, qui non nisi diebus Festis convenire solent, videntur ex consuetudine & quadam necessitate liciti. Quantum ad acta Notariorum, ea vetari, tenet Cabassarius l. 2. c. 31. Negat Sporer in Decalogum, cum aliis pluribus, inter quos clarissimus Pontas v. *Dimanche* cas. 18. ex Sambovio, quem citat; quia haec sunt actus spirituales, & nihil legitur in Jure, quo prohibeantur. Ego quidem arbitror, quod, quando consuetudo, aut necessitas permittit contractum, permittat etiam Notarii actum, tanquam accessorium.

2. Nominis placiti & iudicii intelliguntur judiciales processus, ut partes audire, testes interrogare, sententiam ferre, &c. Actus autem extrajudiciales non prohibentur, ut si Advocatus causam privatim examinet, clientem interroget, Notarius acta litis transcribat, & similia. Duobus tamen casibus ex ipso jure laudato haec duo permittuntur, scilicet, vel urgente necessitate, vel suadente pietate. Hinc, juxta quamdam Regionum consuetudinem, excusantur Judices rurales jus dicentes rusticis, ne pauperes perdant diurnum laborem ipsis necessarium; eadem pietatis ratione casus miserabilium licet intendere. Item ratione necessitatis licet condemnare reos, si nempe timeatur, ne dilata justitia impediatur, aut quia copia latronum, tempusve belli id exigat. Juramentum autem judiciale etiam permittitur pro pace, vel alia necessitate, ut Jura loquuntur, & jam dixi.

Dico 2. (Ib.) Praeter assignata opera, nulla alia sive spiritualia, sive corporalia servis & liberis communia leguntur ullibi prohibita diebus Dominicis & Festis. Hinc inferes 1. his diebus licere loqui, disputare, legere, docere, studere cuivis scientiae, instruere, concionari, consulere Advocatos, Judices privatim informare, & similia, quia sunt spiritualia. Item cantare, pulsare organa, & alia instrumenta musicalia, quia sunt liberalia, non servilia. 2. Licet scribere, quia est quid spirituale, cum scriptio sit quaedam locutio, aut saltem est quid commune servis & liberis imo magis conveniens liberis, quam servis.

Sed difficultas est de transcriptione. Et quidem quantum ad transcriptionem, quae fit causa juvanda memoriae, vel docendi, addiscendi, concionandi, disputandi, &c. videtur licita; quia eadem est ratio de illa ac de descriptione. Idem videtur dicendum de transcriptione, quam faceret aliquis, non ut officium amanuensis exercens, sed ab alio rogatus, etiam si inde mercedem acciperet. At eos, qui ex officio transcribunt, probabiliter existimo cum Cajet. Sylvio & aliis pluribus peccare: quia, ut inquit Sylvius, qui officium transcribendi exercent ut artem aliquam, merito videri possunt opus servile facere, non quia transcribunt propter lucrum, sed quia videtur servorum tale officium exercere, cum non sint domini, sed amanuenses & famuli, qui ad officium transcriptionis deputantur. Id extendit laudatus Sylvius ad famulos Advocatorum, Consiliariorum, & similibus, si magnam diei partem insumant in describendis processibus, computibus, & aliis hujusmodi. Quod tamen intelligendum puto, si ad hoc officium praesertim conducantur; secus enim, si quandoque transcriptionibus applicentur in juvenem suorum herorum; possunt illi, quod isti.

Si contra hanc resolutionem dicas, cum, qui docet ex officio, non ideo opus servile facere: ergo similiter. R. N. paritate. Disparitas est, quod docere etiam ex officio non sit proprium servorum; secus transcribere ex officio. Si addas cum Francisco Henno, transcriptionem esse translocationem, sicut scriptio est locutio. Esto; & tamen scriptio fit modo servis proprio, non scriptio. Simile est meo sensu de itineratione. Itinerari secundum se non est opus servile, ut dicam modo; itinerari tamen ex officio, ut faciunt cursores, mihi videtur omnino servile, cum ad id officium non assumantur nisi famuli & plebei: quamvis tamen aliunde, nempe ex consuetudine & publice utilitatis causa admittatur communiter ut licitum. Quod si forte idem ratione consuetudinis contendas de trans-

criptione, id absolute negare non ausim, cum audiam & legam Romae passim amanuenses sine scrupulo & reprehensione transcribere Brevia, privilegia, & similia diebus Dominicis & Festis.

3. Artificum delineationes in charta, inquit Cabass. cit. post Soto Navarr. & Tolet. quales sunt Architectorum, Pictorum, Sculptorum, Acupictorum, Fabrorum, Lignariorum, & similibus, nullatenus serviles censi debent, quia sunt magis ingenii quam corporis operationes, ingenius magis, quam servis propria. Secus pingere, quod communiter censetur servile contra Layman, & prohibetur in Conc. Meldensi ann. 845. sub Sergio Papa 2. cap. 77. Ratio est; quia pingere non minus quam scalpere, aut acupingere est opus externum & sensibile artefactum, quod communiter exercetur ab iis, qui lucrum ex arte quaerunt, tametsi subinde ab ingenius animi recreandi causa fiat. Nec obstant, quae opponit Layman: 1. Quod pictio perinde ac scriptio consistat in ducendis lineis & figuris. 2. Quod non minus Pictores in pingendo, quam Studiosi in studendo, animi quadam voluptate detinentur. Haec, inquam, non obstant. Ad 1. etenim R. dato descriptionem & pictionem ab rationem datam inter se convenire physicè, non conveniunt tamen moraliter & juxta sanam hominum estimationem in ordine ad Legem. Quae mea responsio inde confirmatur, quod scriptio communis exerceatur ab ingenius & liberis; pictio ab his, qui lucrum ex arte quaerunt. Insuper acupings dicit etiam filum & figuras, & tamen ejus opus est servile. Ad 2. R. voluptatem animi perceptam in opere non esse sufficientem indicium, quod non sit servile; nullus enim est artifex, qui in opere etiam servili, elegante fabricatur, non delectetur animo. Quod dixi de pictione, a fortiori dicendum est juxta communione sententiam de arte Typographica, etiam quantum ad ordinationem characterum contra eundem Layman.

4. Itinerari pedibus, equo, curru, navi, est licitum, quia est quid commune servis & liberis. Ita tenet communissima sententia; & definit Conc. Aurel. de quo modo. Consequenter licet agere omnia itineri necessaria, etiam si sint servilia, ut equos disponere, currum jungere, remigari in aquis, sarcinam portare, &c. quia accessorium sequitur principale, & ita fert consuetudo. Et quamvis, ut jam notavi, itinerari ex officio, ut faciunt cursores, censum esse servile, tamen etiam ex consuetudine ubique recepta, & ratione publice utilitatis factum est licitum. Ad verò currus, maves, equos, mulos onustos agere est servile, & sic die Festo inchoare illicitum, inchoatum tamen die non Festo licitum est prosequi die Festo, modo Missa non omitatur. 1. Quia sic obtinuit consuetudo. 2. Quia interest Reipublicae, ne frugum, piscium, atque mercium comportatio retardetur. 3. Quia miliones & aurigae damnatum paterentur ob quietis expensas, & suas artes alioquin Reipublicae necessarias exercere non valent, & difficile possent. Ita Cabass. cit. post S. Anton. Caj. Aug. Rosell. Navarr. Suarem, & alios.

Contra 1. partem hujus connectarii insurgit & objicit Henricus a S. Ignatio, itinerationem distrahere mentem a cultu Divino. Sed quid inde: etiam studium distrahit, societates, confabulatio distrahunt, ludus distrahit, & sexcenta alia; ideo prohibita sunt praetercepto de observatione Festorum? Intellegat ergo tandem, quod sicut finis praetercepti non cadit sub praetercepto, ita nec quaecumque impedientia finem, nisi in ipso praetercepto expressè continentur. Quod autem addit praeterceptorum Auctor, cultum Divinum esse finem intrinsecum, qui non distinguitur ab objecto praetercepto, est directe contra S. Th. ut patet ex art. 1. gratis omnino dictum, & falsum quam maxime, nisi forte intelligatur de cultu exteriori qui in ipsa additione Missae involvitur, & ab ipsa non distinguitur. Audiat Caj. hic §. *Ad hoc. Cultus interior* inquit eminentiss. Auctor, est finis extrinsecus, cultus exterior puta audire Missam, est finis intrinsecus. Cessare ab operibus servilibus est id, quod est ad finem: & cum finem extrinsecum, cultum videlicet interiore constet non cadere sub praetercepto, ut in littera dicitur, sed solum exteriorem cultum (scilicet Missam) & cessationem ab operibus servilibus, consequens est, ut id solum cadat sub hoc praetercepto ad litteram, quod directe contrariatur exteriori cultui, hoc autem est opus servile, & omissio Missae.

Et mirum sane, hunc Auctorem, qui undequaque fragmenta Conciliorum & Patrum bene vel male corrodit intendendis suis opinionibus, plerumque durioribus, non attendere ad laud. Conc. Aurelianense, quod hanc illius opinionem ad Judaicam observantiam amandat. Haec sunt ejus verba can. 2. *Quia persuasum est populo, die Dominico agi cum caballis, aut bobus, aut vehiculis itinera non debere,*

neque ullam rem ad victum preparare, vel ad nitorem domus, vel hominis pertinentem ullatenus exercere (quae res ad Judaicam magis quam ad Christianam observantiam pertinent probatur) statuitur, ut die Dominico, quod ante fieri licuit, liceat. De opere autem rurali censum abstinentium. Adeo periculosum judicabant sancti Antistites, inquit jam saepe laud. Cabass. hominum conscientias peccatis implicare per duriores, & rigidiores praecipiones, atque doctrinas, quibus rudis populus per alienas persuasiones fuerat imbutus. Fuit autem Conc. Aurel. 3. nationale 16. Episcoporum sub Vigilio Papa ann. 540.

Neque dicas, hoc Concilium esse intelligendum, quando urget necessitas itinerandi. Alioquin non magis esset licitum itinerari die Festo, quam facere opus rurale, cum hoc etiam liceat urgente necessitate; & tamen juxta Concilium licet itinerari die Festo, & non licet opus rurale exercere.

5. Quamvis venatio secundum se non videatur opus servile, cum non minus, imò magis exerceri solet a dominis, quam a servis, per accidens tamen fit illicita ex adjunctione operum servilium in portandis, trahendis, disponendis magnis laqueis, aut rebus, in construendis septibus, & aliis ejusmodi. Imò, si, seclusis etiam his operibus servilibus, exerceatur cum magno strepitu, & per magnam diem partem, cum ita sit multum distrahens, ideoque repugnet directe intentioni Ecclesiae, nec fit sine aliquo scandalo, merito ab illa deterrendi sunt quibus, & propter hanc alterutram rationem vetatur in quibusdam Conciliis particularibus, sive ut absolute illicita, sive ut incongrua. Secus tamen, dum quis sine strepitu, & ad breve tempus adimi levandi causa venatur. Si dicas non supra excusasse opera servilia necessaria ad itinerationem, quia, ut diximus accessorium sequitur principale, quae ratio pariter militat pro operibus servilibus necessariis ad venationem. R. Nos excusasse opera necessaria ad itinerationem, non precise quia accessorium sequitur principale, sed & quia, ut addidi, ita fert consuetudo, imò & quia Concilium Aurelian. id permittit: quod dici non potest de venatione, quippe quae è contra veris in Concilio prohibetur, & verisimiliter propter haec opera servilia, quae eam comitantur.

Quantum ad piscationem, censeo esse opus servile, cum a mercenariis plerumque exerceri solet, & evidenter colligitur ex cap. *Licet de Feris* cit. ubi conceditur a Pontifice dispensatio ad piscationem halieum. Censet tamen Sylvius hic non esse damnandum eum, qui leviter arundine, hamo, parvis rebus recreationis ergo piscaretur; & merito, talis enim piscatio videtur communis servis, & dominis.

6. Bellare verò & digladiare, quaevis olim fuerit ea de re opinio, nunc saltem non reputatur servile; & cum nobilitas maxime competat, aut consuetudine factum est licitum, siquidem passim absque scrupulo, aut scandalo fiant diebus Festis lustrationes exercituum, exercitationes militares, conlictus, &c.

7. Licet etiam convivia publica, commensationes, comotationes, choreae, ludi scenici, vel theatrales, & ejusmodi generis spectacula, non sint servilia; quia tamen sunt contra mentem Ecclesiae, quatenus multum distrahunt a Divinis, & inde plura, & graviora peccata scaturiunt, ideo Dominicis & Festis diebus ea agi, duci, exhiberi, frequentari non convenit, conformiter variis canonibus, quos refert Natal. Alexand. l. 4. art. 6. reg. 3. Ut verò, inquit idem Theologus, convivia privata sobria, pudica, potationes moderate, choreae item privatae in paternis aedibus, aut apud consanguineos, & amicos, rusticorum etiam saltationes honestae diebus Dominicis & Festis, modo haec omnia tempore divinatorum Officiorum non fiant, nec ab Episcopis sint prohibita, nec in Ecclesiarum prospectu fiant, absque periculo lasciviae, rixarum, & scandali (alias honesta non censentur) non videntur damnanda. Ceterum, quia choreae praesertim & popinarum frequentationes raro vestiuntur his omnibus circumstantiis, consultum est Pastoribus, & Confessariis, ut bonis monitionibus, & persuasionibus aditantiur ab his fideles avocare.

Dico 3. (Ib.) Opera, quae sunt servilia secundum se, ratione necessitatis propria, vel alienae sunt communia, & consequenter licita diebus Dominicis & Festis; quia qui liber tam servus, quam liber tenetur in necessariis providere, non tantum sibi, sed etiam proximo. Unde Christus Matth. 12. excusat Discipulos suos, qui colligebant spicas die Sabbathi propter necessitatem, quam patebantur. Et iterum ibid. cum interrogarent Dominum Pharisei, *Si licet Sabbathis curare? dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, et si ceciderit haec Sabbathis in Theol. Billuart. Secunda Secunda.*

foveam, nonne tenuit et levavit eam? quomodo melior est homo ove: itaque licet Sabbathis bene facere.

Plura consuetaria ex hac conclusione fluentia referemus art. sequenti, ubi de necessitate excusante. Unde

ARTICULUS IV.

Quae causa excusant a peccato operantes serviliter diebus Dominicis & Festis.

Dico 1. Dispensatio, & consuetudo legitima excusant a peccato laborantes diebus Dominicis & Festis: quia, cum hoc praeterceptum quoad determinationem temporis & materiae sit Ecclesiasticum, ut dictum est, in illud cadere potest dispensatio, & ei derogare potest consuetudo. Unde male distinguunt quidam inter diem Dominicam & Festum, quasi dispensari possit in die Festo, & non in die Dominica. Dispensare autem potest pro tota Ecclesia summus Pontifex; Episcopus pro sua Dioecesi, Parochus in sua Parochia, uterque ex consuetudine. Ubi evidens est laborandi necessitas, non opus est dispensatione, nisi ex decencia, & ad vitandum scandalum; quia ipsa necessitas excusat, ut jam dixi, & dicam iterum modo. Ubi vero de necessitate dubitatur, adhibenda est dispensatio.

Juvat hic audire Gersonem, in Regulis moralibus laudatum a Nat. Alex. l. 4. Theol. dog. & moral. a. 6. Reg. 2. *Observantia Sabbathi*, inquit Cancellarius Parisiensis, quoad circumstantias temporis & modi & loci, pro maxima parte relicta est determinationi Praelatorum, quae cognoscitur ex eorum institutis, tum ex consuetudinibus per eos legitime toleratis. De operibus servilibus non exercendis diebus Dominicis & Festis plus, & frequenter determinat consuetudo loci, & personarum a Praelatis tolerata, quam alia Lex scripta. Consuetudo exercendi opera servilia haec ab istis, haec ab illis, in diebus Festis, tunc maxime attendenda est corruptela, quando totaliter a servitio Dei, et a cultu Festorum, et maxime ab auditu Missae revocaretur; quando praeterea haec servilia magis ex cupiditate, quam pia necessitate Reipublicae pertractantur. Ceterum hunc Auctorem appello praeter ceteris, non quod ejus auctoritatem pluris faciam, quam aliorum, sed quia plures ex his, qui nobis in praesenti materia adversantur, hunc Cancellarium quasi Theologorum Principem venerantur, & ejus Responsa tamquam de Tripode oracula suscipiunt.

Ex hac Conclusionem inferas, sive ex dispensatione, sive ex consuetudine quatuor genera operum servilium juxta Concil. Aurel. Art. praecedenti laud. esse licita. 1. Aurigarum, ut jam dixi. 2. Coquorum & Pistorum, ut cibos parare & coquere, minora animalia ut pullos, columbas, &c. occidere non tamen majora ut boves, oves, vitulos, nisi propter aliquam necessitatem v. gr. concomitantiam Festorum, aeris intemperiem, &c. Tortas, placentas, & alia minutiora conficere; non tamen panem, nisi ut jam dixi, propter populi, aut Festorum multitudinem. 3. Quae pertinent ad nitorem domus, ut verrere cameras, cubilia sternere, utensilia leviter lavare, &c. 4. Quae pertinent ad decentem hominis compositionem, ut vestes purgare, corpori aptare, ad id aliquid leve suere, &c. Vide supra laudatam Synodum. Item plura alia permitti possunt, & solent ex consuetudine, ut in adventu Principis, vel causa pacis, alteriusve laetitiae publicae, ignes festivos construere, tabularia conficere, Theatra ornare: item ea, quae jam notavi de itineratione ex officio, piscatione, digladiatione, exercitiis militaribus, & forte transcriptione; pro quo consulendae sunt locorum consuetudines, legitima tamen, & quibus non contradicant, aut quas non improbant Superiores.

Dico 2. Altera causa excusans operantes serviliter diebus Dominicis & Festis est necessitas sive privata, sive publica, sive propria, sive aliena. Patet 1. (Ibid.) Quia ut dixi ex D. Thom. conclusione ultima art. praecedentis, opera secundum se servilia sunt in necessitate communia servis & liberis. Patet 2. Ex hoc principio communiter recepto, quod Leges Ecclesiae non obligent cum gravi detrimento. Hinc

Inferes 1. Excusari eos, qui propter praeteritam, vel imminentem pluviam scenum, segetes invertunt, ligant, arportant, congregant: qui inundantibus aquis fossas, aggeres opponunt, incendio succurrunt: qui urgente mandato, aut necessitate, pontes, vias publicas, & similia usui publico necessaria faciunt, aut reficiunt: qui instante, aut urgente obsidione moenia reparant, propugnacula construunt, &c. 2. Excusantur, qui, secreto tamen

ad vitandum scandalum, præ inopia laborant, ut sibi, & familie victum comparant: nisi quis dicat, quod teneantur illi mendicare, quod stultum est, inquit Caj. in Summ. V. Festum n. 23. 3. Excusantur ii, quorum opera semel coepa interrupti non possunt absque gravi damno, ut coquentes lateres, calcem, vitrum, fundentes ferrum, & alii similes, ut nautæ, aurigæ, de quibus supra. 4. Excusantur Medici, Chirurgi, Pharmacopœ, qui hic & nunc necessaria ægrotis preparant. Item, qui propter Festorum concomitantiam, aut populi multitudinem panem conficiunt, animalia etiã grandia occidunt: qui ferrat equos in viâ, aut currus fractos reficiunt. 5. Excusantur famuli & simulæ, qui coguntur ab Heris laborare, si tamèn recusare, aut servitium deserere absque gravi detrimento non possunt, & modò coactio non fiat in contemptum Religionis. 6. Plurimum sententiã excusantur molitores partim ex necessitate, partim ex levitate materiæ in labore hominum, partim ex consuetudine: non sadoeo tamèn nisi propter necessitatem, qualis occurrit in concomitantia festivitatum, &c. 7. Excusantur partim ex necessitate, partim ex consuetudine sartores, qui conficiunt vestes funebres hic, & nunc necessarias ad funera. Non tamèn puto excusari eosdem sartores, qui post mediam noctem per magnam diem festi partem laborant, ut vestes promissas expediant, cum hic neque consuetudo legitima, neque sufficiens necessitas ipsis suffragentur, nisi forte fundate teneantur inde rixæ graves, blasphemix, & similia. 8. Excusantur barbitonsores, qui rusticos, aut opifices, aliosve diebus feriâlibus labore continuo detentos radunt, non autem alios, nisi vigeat contraria consuetudo, quam tamèn Episcopi nec solent, nec debent tolerare. 9. Excusantur ii (*Ibid.*) qui bonis fortune hæud copiosè instructi laborant, vendunt, emunt propter occursum lucri transeuntis gravis momenti; horum enim respectu tale lucrum cessans verè reputatur damnatum. *Opus corporale*, inquit S. Th. quod ordinatur ad imminens damnatum rei exterioris vitandum, non violat Sabbathum. Catechismus Rom. 3. p. 3. Precepto Decalogi n. 32. ait. *Neque earum rerum opera hac lege prohiberi existimandum est, quarum factura faciendâ sit, si die Festo prætermittantur.*

Hanc sententiã tenet Cajet. in Summ. v. Festum n. 26. Pontas v. Fetes Cas. 3. & alii. Favet etiã Ecclesia cap. Licet extrâ. De Fetiis l. 2. tit. 9. ubi Alexander III. indulget Episcopo Tiburtensi, ut ipsius Diocesanis possint Dominicis diebus & Festis, non tamèn solemnioribus, intendere captivos Hæleciũ, que certo tempore terræ inclinant: Itã tamèn quãdã post factam captivam Ecclesiis circumpositis & Christi pauperibus congruam faciunt portionem. Id autem extendunt laudati Auctores ad quodcumque aliud grave lucrum transiens propter paritatem necessitatis: & de facto sic in consuetudine habent adjectores in his Regionibus respectu quorundam piscium, qui certo tempore, vel fluvios nostros excurrunt, vel facilius capiuntur.

Opponit Franciscus Henno, SS. Pontificem dispensasse in casu Hæleciũ propter necessitatem publicam tantum, non propter lucrum transitivum. R. in verbis dispensationis nihil legi, quod innuat necessitatem publicam potius quam privatam. Aliunde non solum necessitas publica excusat, sed etiã privata, ut dictum est. Instat Lector Jubilatus: SS. Pontifex dispensando in uno non dispensat in altero, imò foris prohibet, cum exceptio firmet Legem: ergo. R. Nostram resolutionem non fundari in dispensatione, sed in paritate necessitatis, quam Pontifex iudicavit sufficientem ad dispensandum, itã quòd, si casus huic similes fuissent ipsi propositi, verisimile sit, quòd eandem indulgentiam concessisset. Unde nihil probat laudatum axioma, quia super alios casus similes non fuit petita dispensatio. Nisi forte dicas, te strictius obligari jejuniis, quia tuo confratre observantior noluit petere dispensationem, quam ille pevit, & obtinuit; exceptio enim, ut dicitur, firmat legem: quod sanè risu potius quam seria refutatione foret dignum.

Dixi, qui bonis fortune hæud copiosè sunt instructi; quia respectu divitum huiusmodi lucrum cessans non videtur posse dici damnatum, atque id ipsis indulgere non tam esset eorum necessitati subvenire, quam eorum cupiditati & avaritiæ favere.

Petes, quid censendum sit de rusticis, aut aliis, qui diebus Dominicis, & Festis gratis transvehunt sive equis, sive curru, sive navi quæstus Religiosorum Mendicantium, aut materialiam ad ædificia ipsis necessaria construenda? R. Si Conventus nullos, aut exiguos reditus fundatos habent, atque solis elemosynis plerumquè victitent, videntur excusa-

ti ratione tùm necessitatis, cum consuetudinis: r. Ratione necessitatis; quia huiusmodi Conventus, aliunde Resp. Christianæ apprimè utiles, expensis solvendis agrè sufficienter, si hæc omnia diebus feriâlibus pretio sibi comparare deberent. 2. Ratione consuetudinis; quia sic video ubique saltem in his partibus, practici absque ullius contradictione, aut scandalo, unde suppono tacitum superiorum consensum. Id concedit ex communi sententiã in minoribus Fests Sylvester v. Dominica q. 5. conclus. 3.

Ceterum adverte, quòd, ubi dispensatio expressa opus foret, eam concedere non possint Prælati regulares, etiamsi ageretur de labore intrâ septa Monasterii a secularibus exercendo; quia in eos nullam habent jurisdictionem; sed obtinenda foret ab Episcopo, vel eorum Parocho, ut docet Rodriguez apud Lezanam v. Festi dies n. 10.

Restant duo casus, circa quorum resolutionem mallem doceri, quam docere. Dicam quid censeo, sed inquirendo potius quam asserendo. Primus est: utrum absque necessitate licitum sit applicare amentes, aut infideles operibus servilibus diebus Dom. & Festis. Secundus: utrum peccet mortalitèr, qui absque necessitate plures, puta 20. homines per mediam horam diei Festi, sive simul, sive successive, operibus servilibus applicaret. Utrumque peccati mortalis damnat recens Theologus: at optandum foret, ut suam resolutionem efficacioribus momentis probasset. Itaquè quantum ad 1. cum neque amentes neque infideles teneantur legibus Ecclesiasticis, non video, cur magis illicitum foret, secluso scandalo, eas applicare operibus servilibus diebus Dom., & Festis, quam ipsis præbere carnes edendas diebus quadragesimalibus, quod communiter tamèn conceditur: de amentibus itã sentit Layman lib. 1. Tract. 4. c. 10. n. 3. Scio quidem, infideles teneri Jure naturali aliquando vacare divino cultui, at non potius diebus Festis quam feriâlibus. Adde, neque infideles neque amentes teneri audire Missam, neque peccatum esse eos ab illa vocare: ergo idem de opere servili. Quantum ad 2. Hunc meritò damnandum nullus debet tùm ratione scandali, tùm quòd iniquis cavillationibus Ecclesiæ præceptum eludat: sed an peccati mortalis propter violationem Festum? Ratio sufficiens non liquet: si enim dicitur cum recente Theologo, hunc consentire peccantibus, imò inducere ad peccatum, statim solatio occurrit, consentit peccantibus venialiter dumtaxat, inducit ad peccatum veniale tantum propter levitatem materiæ respectu cuiusque laborantis. Nisi forte dicas, respectu mandantis censeri debere materiam gravem; quòd neque nego, neque affirmo, sed doctoris iudicium exspecto.

Dico 3. Inter causas excusantes quidam numerant pietatem & charitatem. Quantum ad pietatem, que hic sumitur pro Religione, non aliter excusat, quam eo modo quo diximus Conclusionem 1. art. 2. require ibi. Quantum ad charitatem, non videtur excusare nisi ratione adiunctæ necessitatis: non enim excusaretur v. gr. qui in communi necessitate serviliter laboraret ad faciendas communes elemosynas, secus, si ut gravem necessitatem patienti succurreret. Quia huius præcepti obligatio, utpote gravis, quamvis debeat cedere gravi necessitati proximi, non videtur tamèn rationabiliter cedere communi necessitati, cui aliunde variè succurritur. Noster Sylvester v. Dominica q. 5. Concl. 4. & post illum quidam excusant eos, qui moderate laborant ex charitate erga seipos, scilicet ad vitandum otium, ratione cuius in probabili periculo peccandi versantur. Unde, inquit, rationabiliter occupantur hoc sine domicella post suas devotiones, non autem ad lucrum principalitèr. Verùm, licet id in certis casibus non damnatum, passim tamèn non concederem, cum raro accidat peccatum aliter non posse vitari.

Dico 4. Levitas materiæ excusat a toto, vel a tanto. A Toto, si itã sit levis, ut nullatenus contrarietur fini legis, & quasi pro nihilo reputatur, ut unum, aut alterum punctum suere, unam aut alteram herbam in horto colligere. Itã S. Anton. p. 2. tit. 9. art. 7. A Tanto, hoc est, a mortali excusatur, quando avertit quidam a fine præcepti, cultu Divino scilicet, sed levitèr. Sic juxta communiorum opinionem laborare una hora circiter, non excedit culpam venialem: imò ad duas horas non pauci extendunt; quod non absolute negarem, quando labor est valde levis, nec multum distrahens, ut nere, suere, acu, vel penicillo pingere, minuitiora opuscula, ut soleat Moniales, conficere, aptare, texere, &c.

## ARTICULUS V.

## De auditione Missæ.

Dico: Quilibet fidelis adultus, ratione compos, tenetur diebus Dominicis, & Festis adesse moralitèr, & religiosè integrè Missæ, seclusa justa causa excusante. Est communis quoad omnes partes, que tantum indigent explanatione. 1. Dari præceptum Ecclesiasticum obligans secundum se sub peccato mortali audiendi Missam diebus Dominicis, & Festis, constat ex dictis a. 1. Concl. 4. quibus adde hoc præceptum numerari inter alia præcepta, Diebus Dominicis, & Festis Missam reverentèr audito. 2. Quilibet fidelis adultus, ratione compos: quia neque infideles, neque infantes, nondum usum rationis adepti, neque adulti mense capti, stulti scilicet, subjacent legibus Ecclesiasticis: ut docetur in Tract. de legibus. Censetur autem infantes usum rationis adepti circa septennium, & idèò tunc sunt compellendi ad Missam. 3. Adesse moralitèr: quia neque presentia merè corporalis, qualis esse potest in ebria, dormiente, amente, ludente, laborante in Templo, sufficit; neque requiritur, quòd quis sit celebranti corpore proximus, ipsum videat, aut audiat; potest enim esse præsens, qui distat corpore neque videns neque audiens celebrantem, ut in magno populi concursu, & potest esse absens, qui propè est, ut existens in vicina domo, aut etiam in ipso Templo, sed labori suo addictus, & intentus. Sed hoc totum, inquit Sylvius, debet intelligi moralitèr, secundum quòd is communi hominum opinione censetur esse præsens alicui rei, qui scit quid agitur, & ad hoc seipsum præsentem exhibet. Sic dicam illum præsentem si qui cum videt interrogati quid faciat, attentis omnibus circumstantiis prudenter respondeant: *Audit Missam.*

Hinc inferes, existentes in choro, retrò Altare, in atrio Ecclesiæ, in oratorijs, vel cameris annexis Ecclesiæ, aut etiam in cameris secularibus Ecclesiæ contiguis per cancellos, aut fenestram satisfacere præcepto, quia sunt præsentem moralitèr. Item existentes extrâ Ecclesiam, ut fit in magno populi concursu, modo tamèn non longè distant ab alijs adstantibus videntibus, vel audientibus, sed unam cum ipsis multitudinem faciant, & ex eorum signis, vel gestibus intelligant quid agatur; si enim multum distarent, vel ab Ecclesia, vel ab alijs præsentibus, quamvis ex eorum signis colligerent, quid agatur, non viderent moralitèr præsentem, quia tanta distantia tollit præsentiam morale. Ex quo quidam colligunt, quòd, si intrâ Ecclesiam & locum, puta domum, ubi quis audit Sacrum, mediet via publica communis distantia, is non censetur moralitèr præsentem, si non nisi dependenter ab assistentium multitudine, intelligeret, quid agatur; quia illi non conjungitur; secus, si per se independentèr ab illa. Sequitur etiã cæcos, & surdos posse, adeoque teneri Missæ interesse; quia possunt esse moralitèr præsentem, si nempè sint in eo loco & situ, ubi restitutus sensibus possint percipere quid agatur.

4. Adesse religiosè: Hoc est per modum laudantis, & colentis Deum, cum intentione, & attentione. Cum intentione, non quidem satisfaciendi præcepto, id enim non requiritur, quia id lex non præcipit, ut docetur in Tract. de legibus. Et idèò, qui audit Missam putans non esse Festum, satisfacit præcepto, nec tenetur aliam audire, si postea resciat esse Festum; sed cum intentione colendi Deum, aut faciendi, quod fieri intendit Ecclesia, quòd est implicitè intendere colere Deum; quia auditio Missæ, ut ab Ecclesia præcipitur, est actus Religionis, nempè cultus Divinus; atqui secundum se physicè sumpta est indifferens, vel ad cultum Dei, vel ad curiositatem, vel ad lucrum, vel ad libidinem: ergo debet determinari ad esse cultum Divinum per aliquid aliud; quòd non potest esse, nisi intentio audientis.

Cum Attentione, saltem virtuali, non solum externa, qua nihil admittitur exterius distrahens; hæc a nemine negatur: sed etiã interna, que est ipsius mentis ad Deum, aut ad Divinum, excludens voluntarias mentis distractiones; hæc a pluribus negatur. Prob. ex eodem principio. Ecclesia, præcipiens auditionem Missæ, præcipit actum Religionis, scilicet cultum Dei; atqui non est actus Religionis, nec cultus Dei absque attentione interiori, saltem virtuali: ergo Ecclesia præcipiens directè actum exteriorum auditionis Missæ indirectè præcipit attentionem internam tanquam conditionem, sine qua non subsisteret actus exterior, proût præcipitur a Lege. Major est certar minor etiã patet: 1. quia ille censeri non potest colere

Theol. Billiart. Secunda Secundæ.

Deum eo actu, in quo nec de Deo ipso vult cogitare. 2. quia juxta Christi oraculum Joann. 4. veri adoratores in nova Lege debent adorare spiritu. Unde merito Clerus Gallic. damnavit ut temerariam, scandalosam, erroneam, impietati faventem, & præcepto Ecclesiæ illudentem, hæc propositionem: *Præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro satisfaci per reverentiam exteriori tantum, animo licet voluntariè in aliena, imò & prava cogitatione defixo.* Hanc materiam de intentione, & præsentem de attentione interna fusè discussam habes Dissert. 2. de Oratione Art. 8. §. 8. require ibi. Attentione autem hic requisita est triplex. Prima ad Missam, seu ad verba, & actiones Sacerdotis. Secunda est ad sensum, & Mysteria, per verba, & actiones Sacerdotis significata, præsentem Passionis, & Mortis Christi. Tertia est generalitèr ad Deum ipsum laudandum, & orandum per preces, meditationes, aliosve pios mentis, & cordis affectus. Secunda est optima, sed perfectiorum, & intelligentium. Tertia est bona, convenit tamèn, ut sic orantes sint attentè ad principales partes Missæ, nimirum Consecrationem, & Communionem. Prima est minima, sufficiens tamèn, modo sit cum intentione colendi Deum: non enim tenetur audiens Sacrum formare preces privatas; sed sufficit, quòd assistat Sacerdoti celebranti, & oranti nomine, & in persona omnium præsentium, ac totius Ecclesiæ. Ex dictis.

Inferes 1. eos non satisfacere præcepto, adeoque peccare mortalitèr, qui per notabilem partem Missæ, non solum agunt aliquid exterius distrahens, v. gr. confabulando, lustrando imagines, aut apparatus Templi, scribendo, legendo inscriptiones, & alia prophana; sed etiam qui solius mentis distractionibus voluntariè occupantur: perinde est enim, ac si a Sacrificio absissent. Unde pars, que censetur notabilis respectu absentia, de qua infra, censeri debet notabilis respectu distractionum voluntariarum; secus, si sint involuntariæ. Censetur autem involuntaria, inquit Sylvius hic, quàmvis quis etiã aliena cogitet, non advertit se de illis cogitare, aut non advertit se ea cogitare tempore Missæ, seu eo tempore, quo deberet ad divina attendere. Inferes 2. eos, qui accedunt ad Ecclesiam præcisè ad videndum, aut amicum, aut puellam, aut ea que ibi aguntur, ad comitandum herum, aut matronam, ad decorandam pompam funebrem, aut ad aliquid simile profanum, non satisfacere præcepto; quia desunt intentio, & attentio requisita. Si tamèn cum intentione mala, aut prophana, occasione sumpta, intendunt audire Sacrum, & illi attentè adsint, satisfaciunt præcepto, juxta Navarr. in Man. c. 21. n. 6. & dicam infra.

Inferes 3. eum, qui tempore celebrationis Missæ proluxè confitetur sacramentalitèr, juxta communionem sententiam non satisfacere. Itã Pontas verbo Missæ Cas. 48. post Cabass. libr. 2. c. 32. n. 4. Suarem, Bonac. Azor. Item Henno, Sporer, & plures alii. Ratio est; quia, licet talis actus virtutis exerceat, non tamèn videtur magis moralitèr præsens Missæ, quam ipse Confessarius, aut is, qui altera parte Templi concionem habet, aut Altare ornaret, quorum tamèn nullus censetur moralitèr præsens Missæ. 2. Dato esse præsentem moralitèr, non tamèn cum attentione requisita; non enim ad attentionem Missæ necessariam sufficit quilibet actus Religionis, ut patet in prioribus exemplis Confessarii, aut Concionatoris, sed requiritur actus Religionis per modum colentis Deum in ipso Sacrificio, & oblatione victimæ: atqui attentio, quam habet qui confitetur sacramentalitèr, non est talis, sed est ad declarandum Confessario numerum, species, & circumstantias peccatorum, ad respondendum ejus interrogationibus, ad auscultanda ejus monita, correctiones; poenitentiam &c. Unde, ut vides, disparitas est ab illo, qui tempore Missæ, & illi attentus, soli Deo sua peccata confiteretur in amaritudine cordis sui; is enim & moralitèr, & religiosè foret præsens Sacrificio. Idem forte posset dici de illo, qui facilem, & brevem confessionem sacramentali faceret absque proluxè colloquio, & dialogismo cum Confessario in varias circumstantias prophetas excurreribus. Et itã censent non pauci. Ideoque dixi in resolutione, qui proluxè confiteretur.

Inferes 4. eos e contra, qui tempore Missæ horas Canonicas, aut alias preces ex voto, vel Confessari mandato debitas recitant, utrique obligationi satisfacere; quia habent attentionem utrique obligationi sufficientem, nec prohibetur uno & eodem tempore duobus præceptis satisfieri, quando præcepta non sunt impossibilia, quin imò se mutuo juvant ut in casu. Itã communiter cum Adrian. Tolet. Caj. Navarr. Soto, Rosell. Armill. Suarez, Azor. Lopez Bonac. quos citat, & sequitur Cabassur. libr. 2. c. 32. n.

3. Item Sylvius, Layman, & alii communiter contra Sylvestrum, & alios paucos. Idem a fortiori dicendum est de illis, qui in Missa solemniter circa eius caeremonias occupantur, disponendo, portando, quaerendo, evenendo ad breve tempus; quia, cum haec spectent Sacrificium, censentur mortaliter, & religiose illi adesse.

5. *Integra Missa.* Sic praecipitur in Concil. Agath. de Cons. & aliis citatis. Art. 1. Concl. 4. vide. Aded ut omnium consensus peccet mortaliter, qui omittit partem notabilem Missae: venialiter, qui omittit partem non notabilem. Certum est enim, in hoc praecipito, non secus, ac in aliis praecipitis Ecclesiasticis, dari levitatem materiae. Porro pars notabilis censetur Consecratio, vel Communio, quia sunt partes essentialis Sacrificii. Item communiter, cum S. Antonin. 2. p. tit. 9. c. 10. §. 1. & Sylvestro verbo *Missa* 2. n. 1. 3. pars Missae. Unde, qui peracto Evangelio accederet ad Missam, secundum communioem sententiam peccaret mortaliter; venialiter tantum, si finita dumtaxat Epistola. Item venialiter, qui audita integra Missa ab initio exiret immediate post peractam Communionem. Item, qui auditis aliis partibus Missae abesset tempore, quo cantatur *Credo*, aut Praefatio, aut aliquid musicale, tempore concionis, aut *Memento*, etiamsi ex morositate Celebrantis ad semihoram, vel horam protraherentur: quia *Credo*, aut Praefatio non sunt partes notabiles. Morositas vero Celebrantis, sicut concio, aut musica diu producta, non sunt de substantialibus Missae. Quod si ex pluribus levibus omissionibus in eadem Missa conflectetur una gravis, erit peccatum mortale. Qui vero serius accedit ad Sacrum, tenetur audire reliquum, etiamsi peracta sit consecratio; quia, ut dixi alibi, qui non potest totum praecipitum implere, tenetur saltem implere partem, quam potest. Hinc

Inferes, eum non satisfacere praecipito, qui duas partes Missae audit simul a duobus Sacerdotibus simul celebrantibus, v. gr. uno inchoante, & altero versante circa Consecrationem. Quia auditio Missae ex natura, & institutione sua, ac etiam ratione Mysteriorum, quae representat, est res successiva, cujus partes simul esse non possunt, sed una alteri succedere, siquae in casu non audit integram Missam. Addam aliam rationem in sequenti casu. Et ided Innocent. XI. damnavit hanc propositionem, n. 53. *Satisfacit praecipito Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas eius partes, imò quatuor, simul a diversis celebrantibus audit.*

Idem censeo dicendum de illo, qui duas Missae medietates a duobus successivè celebrantibus audit, ut si unam a Consecratione ad finem, deinde sequentem ab initio ad Consecrationem audiat: quia illae medietates successivè non integrant unum Sacrificium, cum non sint partes ejusdem, sed diversorum Sacrificiorum. Haec ratio currit etiam pro praecedenti casu. Ita nunc satis communiter cum Sylvio hic, Toletio, Azorio & aliis contra Navarr. Majorem Soto, Bonac. quos citat, nec improbat Cabass. citatus.

Dices: Casu, quo primus Sacerdos in medio Missae patitur delinquere, aut moriatur, alter Sacerdos succedens integrat Sacrificium, & satisfaciunt audientes: ergo similiter in priori casu. R. N. Conseq. Disparitas est, quod in hoc casu, licet diversae sunt actiones physicae, quia sunt diversa agentia, est tamen idem moraliter Sacrificium, & eadem Missa; ided enim adhibetur alter Sacerdos, ut inchoatum integret, & perficiat. Secus in priori casu, in quo, cum neutrius actio ordinatur ad perfectionem, & integritatem alterius, ex his non magis fit unum Sacrificium, quam fieret unus homo ex junctis partibus diversorum hominum.

Petes, utrum is, qui tenetur ad tres Missas, unam ex Lege Ecclesiastica, alteram ex voto, tertiam ex praecipito Confessarii, satisfaciat, si eas audiat a tribus simul celebrantibus? R. Negative: quia intentio, sive expressa, sive praesumpta, tam Confessarii, quam voventis, est, ut eas audiat successivè, & diutius oret in Ecclesia. Dixi tres Missas, quia, si simpliciter injuncta esset auditio Missae a Confessario, aut vovente die Festo, posset nedum per tres Missas simul auditas, sed per unam tantum satisfacere, cum nihil prohibeat opus aliunde ab Ecclesia praecipitum cadere sub voto, & sub praecipito Confessarii. Utrum vero die Nativitatis Christi teneatur audire tres Missas? Responderetur communiter negativè; quia de hoc nullum datur praecipitum.

6. *Diebus Dominicis, & Festis;* quia nullum est praecipitum audiendi Missam aliis diebus. Nec obstat cap. *Solet De Consecr.* Dist. 1. quo videtur sancitum, nullum dici jejunantem in Quadragesima, nisi audita Missa: quia, inquit Sylvester verbo *Missa* 2. n. 1. loquitur de consilio, aut si de praecipito, est abrogatum. 7. *Seclusa justa causa excusante.* Pro quo sit

## ARTICULUS VI.

## De causis excusantibus ab auditione Missae.

**D**ico: Causae excusantes ab observatione hujus praecipiti, sicut & aliorum praecipitorum Ecclesiasticorum, generaliter sunt dispensatio, consuetudo legitima, & impotentia physica, vel moralis. Impotentia moralis dicitur magna difficultas, quando nempe Lex observari non potest absque gravi labore, seu gravi damno temporali, vel spiritali, proprio, vel alieno, ex hoc principio communiter recepto, quod Ecclesia benigna Mater non intendat obligare suos subditos cum gravi detrimento. Quidam his causis addunt *Charitatem*, & *Officium*; sed, ut patet ex dicendis, haec non excusant, nisi ratione adjunctae impotentiae moralis. Hinc

1. Excusantur incarcerati, aegri decubentes, navigantes in mari, aut degentes in locis Infidelium, seu Haereticorum, in quibus non celebratur Missa. Circa quos notat Layman libr. 4. Tract. 5. c. 4. n. 3. quod hi, qui habent Privilegium celebrandi super Altare portatile, sive in Oratorio privato, ut Religiosi, sive in mari, eos non tenentur uti; quia nemo tenetur uti Privilegio contra Jus commune, & reverentiae Sacramenti minus congruo. Quidam excipiunt, nisi eo uti soleant, cum bene se habent, aut quando non urget praecipitum. Idem etiam notandum circa navigantes, & degentes in locis Infidelium, & Haereticorum, eos non excusari, imò in continuo statu peccati versari, si id faciant absque justa causa, qualis esse potest Haereticorum, vel Infidelium conversio, bonum publicum, aut etiam necessitas privata, puta mercatura exercenda, non ad congregandas divitias, sed ad sibi, & familiae necessariae iuxta statum suum procuranda.

2. Excusantur, qui non habent alium celebrantem nisi excommunicatum denuntiatum, aut notorium Percussorem Clerici; imò etiam notorium concubinarium, & notorium excommunicatum, licet non denuntiatum: cum haec tamen differentia, quod duorum priorum Missam audire, nec teneris, nec possis; posteriorum vero post Conc. Const. possis quidem audire, at etiam possis omittere in justam scelerum detestationem. Ita Layman cit. n. 4. ex Sylvestro, & aliis. Similiter excusantur, qui excommunicationi, vel interdictioni subjacent, quando tamen per eos non stat, quominus ab interdictione, aut excommunicatione absolvantur, aut cum potuerit, & debuisset tollere hoc impedimentum, talis omissio est ipsi voluntaria, & imputabilis in causa. Sicut, si quis posset habere Breviarium, & negligeret, omissio recitationis Horarum esset ipsi voluntaria, & imputabilis in causa, hoc est, in ipsa negligentia.

3. Excusantur ratione impotentiae moralis ii omnes, qui sine vero, & non ficticio, periculo, vel scandali, vel ruinae spiritalis, vel gravis damni temporalis in vita, in corpore, in fama, in bonis fortunae non possunt audire Missam. Et sic excusantur convalescentes timentes relapsum, infirmi timentes morbi aggravationem, servientes infirmis, qui absque periculo non possunt remanere soli. Matres, & ancillae, quae adesse debent infantibus, quos nec ad Ecclesiam deferre, nec solos relinquere expedit: Honesta puella, ex fornicatione secreta praegrans. Quidam addunt honestas mulieres, quibus desunt vestes statum suum decentes: sed difficile hanc casum admitterem, cum inde vix, aut ne vix sequi possit vera, & gravis infamia. Item ex eodem titulo excusantur ii, quorum praesentia alibi est necessaria ad impediendos latrones, incendiarios, rixantes, duellantes, blasphemantes, &c. Item puella, quae certo novit, si exeat, se fore alicui determinatè occasionem peccandi. Quamvis enim propter alterius malitiam forte non teneatur Missam omittere, cum utatur jure suo, & scandalum non sit datum, sed acceptum; potest tamen, si velit, urgente charitate ad vitandam ruinam spiritualem proximi. Intellige, modo istud scandalum raro, & non frequentius accidat; tunc enim deberet negligi, & praecipito Ecclesiae satisfieri, alias vix unquam puella audiret Sacrum. Item ex eodem titulo excusantur, qui longè distant a loco, ubi Missa celebratur, habita ratione personarum, vic-

temporis, loci, consuetudinis, juxta viri prudentis iudicium. Item, qui domum, vel greges custodiunt ad impedendum probabile damnum, sive a latronibus, sive a milibus, sive a lupis, sive ab ipso grege aliorum sata conculturato. Hos tamen & alios similes intellige semel pro semper, modo praevenerit, aut per alios supplere non possint. Item ex eodem titulo excusantur laborantes in fuscariis, ubi opus semel inceptum deserere non possunt, nec habent alios, qui succedant; milites stationarii, qui stationem deserere non debent nec possunt; famuli & ancillae, qui coguntur ab heris laborare tempore Missae, quos tamen, si id pluries accidat, deserere tenentur. Item grave lucrum cessans potest esse causa excusans, si, attentis conditione personae indigentis, reputatur grave damnum, ut dixi de operibus servilibus.

4. Excusantur ratione consuetudinis perperae, quae post partum etsi convaluerint, tamen per mensem, aut sex septimanas domi se continent. Item in quibusdam Regionibus viduae, per aliquot hebdomadas mariti mortem lugent. Ita S. Antonin. Cajet. Sylvester. Navarr. & alii contra Pontas verbo *Missa* cas. 46. Equidem forte satis foret, hanc consuetudinem ab Ordinariis abrogari; sed quamdum viget, non videntur damnandae, quae cum sequuntur. Caeterum nec illae, nec istae ullatenus excusantur, si ad alia negotia exeant. Notandum hic cum Cajet. in summul. verbo *Festum* n. 2. eum, qui bona fide putat se excusari a Missa, quamvis sit minus sufficiens ratio, peccare tantum venialiter: simile est, si praeter intentionem ex aliqua negligentia Missa omittitur. Horum ratio est; quia in his casibus non agitur formaliter contra praecipitum, nec usque adeo materialiter intervenit transgressio, ut redeat peccatum in naturam suae formae. Ita laudatus Cardinalis; quod etiam militat pro aliis praecipitis.

Petes 1. utrum itinerantes excusentur ab auditione Missae? R. Consuetudo obtinuit, ut, qui proficiscitur a loco, ubi est Festum, teneatur audire Missam, antequam discedat; sed, si simpliciter illac transeat, nisi forte ibidem trahat moram observationi praecipiti proportionatam, v. gr. si per plures horas temporis matutini illic moraretur. Excusantur autem itinerantes & navigantes, qui, si Missam audiant, perdunt navim, aut socium sibi necessarium, puta, quia ignorant viam, aut grassantur latrones, nec differre possunt.

Petes 2. utrum antequam praecipitum obliget, liceat absque justa causa ponere impedimentum observationi illius, puta iter, venationem non necessariam suscipere, unde praevideat fore, ut non possit audire Sacrum die Dominica, vel Festo sequenti? R. Non licere. Est contra quosdam hac in parte, ut putat, laxiores, qui id certo licitum affirmant tempore remoto, puta tribus, vel duobus diebus, imò pridem manè ante diem Festum, etiamsi ex intentione directa omittendi Sacrum: quia, inquit, tunc non obligat praecipitum, neque est in proximo ut obliget; quando vero obligabit, supponitur impossibilis auditio Missae. Verum, licet pro tunc non obliget, est tamen positum & certo obligabit tunc, obligat nunc pro tunc. Non potest autem licere Christiano absque justa causa se reddere impotentem observationi Legis latae pro tempore sequenti obligantis, siquidem tunc ejus omissio sit ipsi voluntaria & imputabilis in causa. Haec ratione communiter damnatur, qui ex gula diebus Bacchanalibus sibi morbos procurant, unde praevident fore, ut sint impotentes ad audiendum Sacrum, & jejunandum tempore Quadragesimae. Similiter, quod propriis tangit praesentem casum, damnantur, ut supra dixi, ii, qui absque justa necessitate commorantur in locis Haereticorum, ubi Missa non celebratur. Et sane quis excusabit Clericum navigantem, qui summo manè recitato integro Officio currentis diei proficeret Breviarium in mare, ut ab onere diceps recitandi eximeretur, ea ratione quod praecipitum recitandi die sequenti non obliget hodie? Ita in nostro casu.

Petes 3. utrum, qui legitime excusantur a Missa, teneantur ad aliquem alium actum Religionis indeterminate saltem diebus Dominicis? R. Non teneri vi praecipiti Ecclesiastici, quippe quod nihil aliud praecipit quam abstinentiam ab operibus servilibus & auditionem Missae, ut patet ex infra dicendis. Videntur tamen teneri vi praecipiti naturalis, quo jubentur aliquando vacare divinis; sed non precisè die Dominica potius quam altera die, quia praecipitum naturale non determinat tempus. Undè Fidelis, qui quotidie manè & vespere preces recitat, aut Missam infra hebdomadam audit, aut aliquem alium Religionis actum eo tempore exercet, videtur satisfacere praecipito naturali.

Petes 4. utrum, qui absque justa causa omittit Sacrum die Festo incidente in Dominicam, committat duplex peccatum in Confessione aperiendum? R. Negative cum Sylvio hic, & aliis; quia peccatum non multiplicatur ex sola multiplicatione praecipitorum, nisi sint diversae rationes, hoc est, nisi sint data ex diverso motivo formali. Hoc autem duplex praecipitum in casu est ejusdem rationis, quia est sub eodem motivo formali Religionis. Secus dicendum, si quis teneretur audire Missam die Festo ex praecipito Confessarii, aut ex voto: quia sunt vincula diversae rationis, quatenus nimirum praecipitum Confessarii est ex motivo penitentiae; & votum, quamvis sit etiam ex motivo Religionis, tamen qui vovet rem jam aliunde praecipitam, intendit se strictius obligare, quam obligetur ex praecipito; & insuper vi voti obligatur ex virtute veritatis, seu fidelitatis, quam obligationem non importat praecipitum Ecclesiasticum.

Petes 5. utrum requiratur status gratiae in audiente Missam? R. 1. Optandum foret, ut omnes, qui Missam audiunt, essent in statu gratiae; quia sic & mereri possunt per hunc praecipitum Religionis nostrae actum, & conformes fierent principali Sacrificanti, nimirum Sacerdoti, qui est, aut saltem esse debet in statu gratiae, atque oblato, quam de se ipsis cum Sacerdote faciunt, foret Deo gratior. Hujus tamen dispositionis nullum extat praecipitum, ut restatur generalis totius Ecclesiae praxis, cum neque Confessarii id inquirant, neque Penitentes id accusent. Undè falsum est, eum novo peccato ireturi, atque praecipiti Ecclesiastici violatorem esse, ut quidam commentum sunt, qui nondum justificatus, deposito tamen affectu ad peccatum, Missam reverenter audit. Quia imò multum ipsi prodesse potest, & ut spiritum penitentiae & peccatorum remissionem & gratiam justificantem tandem obtineat; ut loquitur Concil. Trid. R. 2. Peccat, qui cum affectu actuali ad peccatum mortale Missam audit; quia videtur irreligiosum, Deo injuriosum, & hypocrisis sapiens, quod quis adsit, imò offerat cum Sacerdote Sacrificium propitiatorium pro peccatis, in quibus vult obstinate perseverare; non tamen sic affectu accendi sunt a Missa, sed adhortandi, ut affectum deponant, & Missam audiant. Ita Natal. Alexand. Pontas verbo *Missa*, cas. 45. & alii. Haec autem peccatum non excedit culpam venialem, inquit Henricus a S. Ignatio, auctor aliunde rigidissimus. R. 3. Quamvis, ut dixi, peccet, qui cum affectu ad peccatum mortale Missam audit, satisfacit tamen praecipito Ecclesiae de audienda Missa diebus Dominicis & Festis. Ita post Bartholom. Medinam, & Navarr. in man. c. 21. n. 7. doctissimus Sylvius in 1. 2. q. 100. a. 9. Concl. 3. ubi, cum quaesivisset, utrum possit praecipitum aliquod impleri per opus, quod hic & nunc, secundum quod impletur, est peccatum? Sic respondit: *Responsio communior esse, posse; modo illud opus sit ex se bonum: & propterea, si quis die Festo Missam audiat propter vanam gloriam, vel ob mulierem concupiscendam, non tenetur aliam audire. Idemque iudicium est de illo, qui jejunat ex grava aliqua intentione: Quia Leges praecipunt substantiam actus, non autem modum, nisi modus sit de intrinseca ratione actus vel secundum se, vel prout cadit sub Lege; qualis est v. gr. attentio mentis in auditione Missae, aut recitatione Horarum, quia absque ea illi actus non forent actus Religiosi, quales praecipiantur; secus vero de voluntate non peccandi, quia absque ea auditio Missae supposita attentione remanet secundum se & quoad substantiam actus Religiosus, licet prava agentis intentione vitetur. Hoc porro principium desumpsit laudatus Sylvius ex S. Th. ib. ubi docet S. Doctor (1. 2. q. 100. a. 9. a.) modum virtutis quoad motum interiorem voluntatis & intentionis non cadere sub Lege humana.*

## ARTICULUS VII.

## Ubi Missa sit audienda: an necessarium in Ecclesia Parochiali.

**N**emini hic movere bilem mihi animus est, sed pro posse eam stabilire, atque defendere. Precor, ut ii, contra quos ago, eodem animo dicta recipiant, & responsa proponant.

Dico 1. Consultum est, Christi fideles diebus Dominicis & Festis saltem solemnioribus audire Missam, eamque solemnem, in Ecclesia sua Parochiali, atque ad id omnes hortor ex animo: quia tunc solent indici jejunia & Festa, quae occurrunt per hebdomadam, fieri proclamationes ban-